

Intranti autem ei in capharnaum, aduenit ei centurio, deprecans eum et dicens. Domine puer mens iacet in domo paralyticus, et male torquetur. Leprosus quidem descendenti a monte aduenit. Centurio autem hic intranti in capharnaum. Cur igitur neque hic neque ille in montem ascenderunt? non propter pigritiam. Etenim utrorumque fides recta erat. Sed ut non inciderent doctrinam. Adueniens autem, ait puer mens iacet in domo paralyticus, et male torquetur. Quidam quidem aiunt, quoniam excusans et causam dixit, propter quam ipsum non adduxit. Neque enim possibile erat ait, dissolutum cum torqueretur, et ad ultimas esset respirationes uehere. Quoniam enim et expiraturus erat, lucas ait, quoniam et erat moriturus. Ego autem signum hoc esse aio, habendi eum magnam fidem, et multo maiorem his qui per tectum immiserunt. Quia enim sciebat manifeste, quoniam et iniunctio sufficit sola ad restorationem iacentis, superfluum esse estimauit eum ducere. Quid igitur ihesus quod nusquam prius fecit, hic facit. Vbique enim sequens electionem supplicantium, hic et insilit, et non curare promittit solum, sed et ire ad domum. Facit autem hoc ut discamus uirtutem centurionis. Si enim non hoc promississet, sed dixisset, uade, sanetur puer tuus, nichil utique horum cognosceremus. Hoc igitur et in foenice ex contrario fecit muliere. Hic enim non uocatus in domum spontaneus promissor ait uenturum esse. Vt discas centurionis fidem et multam humilitatem. In foenice autem et negat dationem, et imminentem aporiatur. Sapiens enim existens et bonus argumentator medicus per contraria instruere contraria nouit. Et hic quidem per sponte promissam presentiam, illic autem per intensam tardationem et recusationem, fidem reuelat mulieris et centurionis. Ita et in abraham fecit dicens. Nequaquam abscondam a puero meo abraham, ut discas illius dilectionem et prouidentiam quae erat pro sodomis. Et in loth negant intrare ad ipsum qui missi erant, ut iusti discas hospitalitatis magnitudinem. Quid igitur centurio ait, non sum sufficiens ut sub tectum meum intres. Audiamus quicumque christum sumus suscepturi. Possibile enim eum suscipere et nunc. Audiamus et zelemur, et cum tanta accipiamus fide. Etenim cum inopem susceperis esurientem et nudum, illum suscepisti et cibasti. Sed dic uerbo et sanabitur puer meus. Vide et hunc sicut leprosum decentem de ipso opinionem habentem. Neque hic dixit roga, neque dixit ora et supplica, sed inunge solum. Deinde formidans ne moderata sapere innuat, ait, etenim ego homo sum sub potestate habens sub meipso milites, et dico huic uade et uadit, et alii ueni et uenit, et seruo meo fac hoc et facit. Et quid hoc est ait si centurio ita suspicatus est? Quod enim queritur si christus hoc enuntiauit et firmauit, bene et ualde sapienter dicit. Quapropter uideamus hoc ipsum et inueniemus quod in leproso factum est, hoc et hic gestum. Sicut enim leprosus dixit si uolueris, et non a leproso certificamur solum de potestate, sed et a christi uoce. Non enim non dissoluit solum suspicionem, sed et firmauit magis, quod superfluum erat dicere adiciens et dicens, uolo, purgare, ut firmet dogma illius, ita et hic intendere iustum est si quid tale gestum est. Etenim inueniemus hoc idem rursus contingens. Talia enim centurione dicente, et testante talem potestatem, non solum non incusauit, sed et commendauit, et amplius aliquid fecit quam commendauit. Neque enim dixit euangelista, quoniam laudauit quod dictum est solum, sed et intensionem significans laudis ait, quoniam et amiratus est, et neque simpliciter amiratus est, sed et plebe omni presente, et aliis exemplum dedit, ut eum zelarentur. Vides qualiter unusquisque eorum qui testati sunt ei potestatem ammirationi traditi sunt. Et obstupuerunt turbae in doctrina

Commented [ND1]: [fol.96vb]

Commented [ND2]: uel filius add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.97ra]

Commented [ND4]: uel surrectionem add. super lin.

Commented [ND5]: uel mentem add. super lin.

Commented [ND6]: angustiat add. super lin.

Commented [ND7]: [fol.97rb]

Commented [ND8]: est hoc add. super lin.

Commented [ND9]: aliquid add. super lin.

eius, quoniam ut potestatem habens docebat, et non solum non incusauit, sed accipiens eas descendit. Et per ea per quae leprosum mundauit, firmauit earum **consilium**. Rursus dixit ille. Si uolueris, potes me mundare, et non solum non increpauit, sed curans eum, ita ut ille dixit, mundauit. Rursus centurio hic, ait, dic uerbo solo, et sanabitur puer meus. Et ammirans eum dixit, neque in israel tantam fidem inueni. Vt autem et ex contrario hoc discas, quia martha horum nichil dixit, sed contrarium, quoniam quaecunq̄ue petieris deum dabit tibi, non solum non laudata est, **quamuis** et nota existens et dilecta, et eorum qui ualde circa ipsum studuerunt, sed et increpata est, et emendata est ab ipso quasi non benedixisset. Etenim dixit ei. Non dixi tibi si credideris uidebis gloriam dei? quasi nondum credentem incusans. Et rursus, quia dixit quaecunq̄ue petieris deum dabit tibi, abducens a tali suspitione eam, et docens quoniam ab alio non indiget accipere, sed ipse est fons bonorum ait. Ego sum resurrectio et uita, hoc est non expecto suscipere operationem, sed ex me omnia operor. Vnde centurionem et ammiratur, et plebi omni preponit, et regni datione honorat, et alios ad eundem zelum uocat. Et ut discas quoniam propter hoc hec dixit, ut et alios erudiat credere ita, audi euangelistae diligentiam, qualiter id enigmatice insinuauit. Versus enim ait ihesus dixit sequentibus se, neque in israel tantam fidem inueni. Quapropter magna de **ipso** imaginari, hoc fidei et regni et aliorum bonorum, maxime est **tributum**. Neque usque ad uerba ei facta est laus. Sed et egrotantem sanum tradidit pro fide, et preclaram ei complicat coronam, et magnas promittit donationes, ita dicens, multi ab oriente et occidente uenient et recumbent in sinibus abraham, et isaac, et iacob, filii autem regni expellentur foras. Quia enim multa ostendit miracula, cum ampliori eis iam loquitur libera propalatione. Deinde ut nequis estimet, blanditiarum esse **uerba**, sed discant uniuersi, quoniam ita dispositus erat centurio, ait, uade sicut credidisti, fiat tibi, et confestim opus secutum est testans **electioni**. Et sanatus est puer eius ab illa hora. Quod et in syra foenissa contigit. Etenim illi ait, o mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius. Quoniam autem et lucas hoc miraculum annuntians, interponit alia plura, quae uidentur **dissonantiam** ostendere, soluere et hec necessarium est uobis. Quid igitur ait lucas? misit presbyteros iudeorum ad ispum, deprecans eum uenire. Matheus autem ait, quoniam ipse adueniens dixit, quoniam non sum dignus. Et quidam quidem aiunt, quoniam non est ille hic, et multas coniecturas habet. De illo enim ait, quoniam et sinagogam nostram construxit, et genus diligit. De illo autem ipse ait ihesus. Neque in israel tantam fidem inueni. Et in illo quidem, non dixit, quoniam multi uenient ab oriente. Vnde decens est iudeum ipsum esse, quid igitur dicemus? quoniam haec quidem facilis est solutio. Quod autem queritur est, si uerum est hoc. Michi uidetur hic ille esse. Qualiter igitur ait, matheus quidem dicit quoniam ipse dixit, non sum dignus, ut sub tectum meum intres. Lucas autem, quoniam misit ut ueniat. Michi uidetur blanditias iudaicas enigmatice insinuare nobis lucas. Et quoniam qui in calamitate **inconstanter** faciunt, multa reconsiliantur. Decens enim est centurionem uolentem abire, et prohiberi a iudeis, blandientibus ei et dicentibus quoniam nos abeuntes ducemus eum. Vide itaque et eorum deprecationem, blanditiarum existentem plenam. Diligit enim gentem nostram ait, et sinagogam ipse fabricauit, neque sciunt unde laudant uirum. Cum deceret enim dicere, quoniam uoluit quidem ipse uenire et rogare, nos autem prohibuimus, calamitatem uidentes, et ruinam in domo iacentem, et ita representare fidei eius magnitudinem, hoc quidem non dicunt. Neque enim uolebant **propter emulationem**, reuelare uiri fidem. Sed uolebant magis obumbrare uirtutem, pro quo supplicationem uenerunt facturi, ut non uideatur magnus quidam esse qui rogabatur, uel fidem diulgantes illius, explerent id propter quod uenerant. Sufficiens enim est emulatio, **orbare** mentem, sed qui ineffabilia nouit, et nolentibus eis illum diulgauit. Et quoniam hoc est uerum, **audi** ipsum lucam, rursus id interpretantem. Ipse enim **hic** ait, quoniam non longe **distante** eo, misit dicens, o domine non uexeris. Non enim sum

Commented [ND10]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND11]: [fol.97va]

Commented [ND12]: christo *add. super lin.*

Commented [ND13]: uel causa *add. super lin.*

Commented [ND14]: haec *add. super lin.*

Commented [ND15]: uel consilio eius *add. super lin.*

Commented [ND16]: [fol.97vb]

Commented [ND17]: inconstantia *add. super lin.*

Commented [ND18]: uel quia *add. super lin.*

Commented [ND19]: emulabant *add. super lin.*

Commented [ND20]: excecare *add. super lin.*

Commented [ND21]: [fol.98ra]

Commented [ND22]: ita *add. super lin.*

Commented [ND23]: absente *add. super lin.*

dignus, ut sub tectum meum intres. Quando enim erutus est, ab inimiticia eorum, tunc mittit dicens, ne estimes quoniam per desidiam non adueni, sed meipsum indignum esse estimaui, a suscipiendo te in domo. Et matheus ait, non per amicos, sed per seipsum hoc eum dixisse. Nichil, hoc facit. Quod enim queritur, est, si desiderium alteruter representauit uiri. Et quoniam decentem de christo opinionem habebat. Decens autem est et ipsum postquam misit amicos, aduenientem haec dicere. Si autem non dixit hoc lucas, sed neque illud matheus. Quod non obuiantium sibi ipsis erat, sed quae ab inuicem derelinquebantur complementium magis. Vide autem eius qualiter et aliunde fidem lucas diuulgauit dicens, quoniam erat deficere puer, sed tamen neque hoc in diffidentiam eum immisit, neque desperare instruxit, sed et ita sperauit superare. Si autem matheus quidem ait christum dixisse, neque in israel tantam fidem inueni, et ita ostendere, non existentem eum israelitam, lucas autem quoniam fabricauit sinagogam, neque hoc est contrarium. Possibile enim est, et iudeum non existentem, et sinagogam fabricasse, et gentem diligere. Tu autem michi non simpliciter inuestiga quae dicta sunt ab ipso, sed et principatum eius appone, et tunc uidebis uirtutem uiri. Etenim multus est tumor eorum qui in principatibus sunt, et neque in calamitatibus condescendunt. Qui ergo apud iohannem iacet, trahit eum ad domum et ait, descende, futurus enim est puer meus deficere. Sed non hic ita. Sed et illo et his qui per tectum summiserunt lectulum, multum est melior. Neque enim corporalem presentiam expetit, neque prope medicum laborantem attulit. Quod non parua imaginantis erat de ipso, sed deo decentem suspicionem habens ait, dic uerbo solum, et neque in principio dicit, dic uerbo, sed solam passionem enarrat. Neque enim putauit ex multa humilitate confestim annunturum esse christum, et domum inquisiturum esse. Propter hoc quando audiuit eum dicentem, ego ueniens curabo eum, tunc ait, dic uerbo, et neque passio eum confundebat, sed et in calamitate philosophatur. Non ad sanitatem tantum inspiciens pueri, quantum ad hoc quod non uideatur, nichil in reuerendum facere, quamuis non ipse coegit, sed christus promisit. Sed et ita formidauit, nequando uideatur, dignitatem suam superexcedere, et grauem rem contrahere. Vides eius prudentiam? intende iudeorum amentiam dicentium. Dignus est cui tribuet gratiam. Cum decens enim esset ad filanthropiam, id est amorem hominum ihesu, hii autem dignitatem eius premittunt. Et neque unde premittere oportet, sciunt. Sed non ille ita, sed et ualde seipsum indignum esse dixit, non solum benefitii, sed et suscipiendi in domum christum. Propter hoc et dicens, puer meus iacet, non induxit, dic formidans ne indignus sit adipisci domum, sed calamitatem annuntiauit solum. Quia autem uidit christum munificum, neque ita insiluit, sed adhuc manet sibi ipsi decentem, conseruans mensuram. Si autem dixerit aliquis cur non rehonorauit eum christus? Illud utique dicemus, quoniam ualde eum rehonorauit. Primum quidem in ostendendo consilium, quod ex non ueniendo eum in domum maxime apparuit. Secundo autem in inducendo eum in regnum, et honorando super omnem gentem iudaicam. Quia enim et a suscipiendo christum in domum, indignum seipsum fecit, et regno factus est dignus, et bonis participare, quibus potitus est abraham. Et qua de causa leprosus ait magis his ostendens, non laudatus est. Neque enim dixit ille, dic uerbo, sed quod multo maius erat uelis solum, quod de patre ait propheta, quoniam omnia quecumque uoluit fecit. Sed et ille laudatus est. Cum enim dicat offer donum quod iniunxit moyses in testimonium illis, nichil aliud ait, quam quoniam tu accusabis eos ex his quibus credidisti. Sed et aliter. Non erat equale iudeum existentem credere, et extra gentem, quoniam enim non erat iudeus centurio, et ab existendo centurio manifestus erat, et ab eo quod dictum est neque in israel tantam fidem inueni. Et multum magnum erat hominem extra iudaicum existentem catalogum, tantam accipere intelligentiam. Etenim imaginatus est, ut michi uideretur caelestes uirtutes, uel quam ei passiones ita sunt subiectae, et mors, et aliae omnes, ut ei milites. Ideoque dixit. Etenim ego homo sum, sub potestate. Tu autem non sub potestate. Si

Commented [ND24]: grauatione iudeorum add. super lin.

Commented [ND25]: per se add. super lin.

Commented [ND26]: uel moriturus add. super lin.

Commented [ND27]: [fol.98rb]

Commented [ND28]: hoc add. super lin.

Commented [ND29]: uel mentem eius add. super lin.

Commented [ND30]: quae monstrans add. super lin.

Commented [ND31]: [fol.98va]

itaque ego homo et sub potestate existens tanta possum, multo magis ipse qui et deus et super potestatem, cum superhabundantia enim ei uult suadere, quoniam non ut simile dans exemplum haec dicit, sed ut ualde superexcedens. Si enim ego coonorabilis existens his quibus iniungo ait, et sub potestate existens, tamen propter paruam principatus supereminetiam tanta possum, et nullus contradicit, sed quaecumque iniungo haec efficiuntur, et si diuersa fuerint precepta, dico enim huic uade, et uadit, et alii ueni et uenit, multo magis ipse poteris. Quidam autem et ita legunt hunc locum. Si enim ego homo existens, et in medio distinguentes, inducunt sub potestate habens sub meipso milites. Tu autem michi intende, qualiter ostendit, quoniam et morti dominari potest quasi seruae, et iniungere quasi dominator. Cum enim dixerit quoniam ueni et uenit, et uade et uadit, hoc dicit, quoniam si iusseris non uenire finem super eum, non ueniet. Vides qualiter erat fidelis. Quod enim erat uniuersis manifestandum postea, hoc hic iam apertum constituit, quoniam et mortis et uitae potestatem habet, et deducit ad portas inferni et reducit. Et non de militibus dixit solum, sed et de seruis quod erat maioris oboedientiae. Sed tamen et tantam fidem habens, adhuc indignum seipsum esse estimabat. Christus autem monstrans quoniam dignus erat ingressione in domum eius, multo maiora fecit, ammirans eum et diulgans, ampliora dans his quae petiit. Etenim uenit sanitatem querens puero corporalem, et regnum accipiens abiit. Vides qualiter iam completum est, petite regnum caelorum, et haec adicientur uobis? Quia enim multam quandam ostendit humilitatem, et caelum dedit, et sanitatem ei adiecit, et non in hoc solo honorauit, sed et in monstrando quibus proiectis ipse inducitur. Etenim hinc iam rursus facit cognitum, quoniam a fide est salus, non ab operibus quae sunt secundum legem. Ideoque non iudeis solum, sed et gentibus donatio haec preiacebit, et illis magis quam his. Ne enim estimetis ait quoniam in hoc factum est hoc solum. Etenim in orbe terrarum uniuerso, hoc erit. Hoc autem dixit de gentibus prophetans, et benignam eis substituens spem. Etenim erant et a galilea quae est gentium sequentes. Haec autem dixit, et gentiles non dimittens diffidere, et iudeorum destruens prudentiam. Vt autem non obsistat quod dictum est audientibus, neque tribuat eis occasionem ullam, neque principaliter sermonem de gentibus inducit. Sed occasionem accipiens a centurione, neque nudum nomen gentium ponit. Non enim dixit multi gentium, sed multi ab oriente et occidente, quod erat significantis gentes. Non obsistebat autem hoc audientibus. Obumbratum enim erat quod dictum erat. Non ita autem solum mitigat, houam doctrinam estimatam esse, sed et indicendo pro regno sinus abraham. Neque enim illud nomen, cognitum erat eis. Et plus eos mordebat abraham in medium positus. Ideoque et iohannes nichil confestim de gehenna dixit, sed quod maxime eos contristabat, ait. Ne putetis dicere quoniam pueri sumus abraham. Cum his autem et aliud instruit, non iudei contrarium esse, ueteri urbanitati. Qui enim patriarchas ammiratur, et requiem bonorum illorum sinus uocat, ex multa superhabundantia et hanc destruit suspicionem. Nullus igitur unas esse estimet has minas. Duplex enim est et his pena, et illis leticia, his quidem, non quoniam exciderunt, illis autem non quoniam potiti sunt, sed quoniam et his quae non extimauerunt, potiti sunt. Et tertia cum his, quoniam quae illorum sunt, acceperunt hii. Filios autem regni ait, eos quibus regnum erat preparatum, quod et magis eos mordebat. Monstrans enim in sinibus existentes annuntiatione et promissione, tunc abducit. Deinde quia enuntiatio erat quod dictum est, credere facit id signo. Quemadmodum et signa a predicatione, his qui postea sunt, facta esse monstrat. Qui igitur non credit sanitati factae puero tunc, a prophetia quae euenit hodie, credat et illud. Etenim et propheta ante euentum sui a signo quod tunc fuit, manifesta omnibus facta est. Propter hoc denique prius haec presonans, tunc paraliticum resuscitauit. Vt futura ab his quae prima sunt, credi faciat, et minus a maiori. Potiri enim uirtuosos bonis, et sustinere contrarios tristia, nichil inconueniens est, sed secundum rationem et secundum consequentiam legum fiebat. Paralyticum autem cohartare, et mortuum

Commented [ND32]: punctum facientes *add. super lin.*

Commented [ND33]: [fol.98vb]

Commented [ND34]: uel mortem *add. super lin.*

Commented [ND35]: ut ingrederetur ipse *add. super lin.*

Commented [ND36]: id est *add. super lin.*

Commented [ND37]: salus *add. super lin.*

Commented [ND38]: centurione *add. super lin.*

Commented [ND39]: saluari eum *add. super lin.*

Commented [ND40]: saluari *add. super lin.*

Commented [ND41]: [fol.99ra]

Commented [ND42]: de gentibus *add. super lin.*

Commented [ND43]: uel uideamini *add. super lin.*

Commented [ND44]: id est *add. super lin.*

Commented [ND45]: se *add. super lin.*

Commented [ND46]: uel dissolutum *add. super lin.*

Commented [ND47]: solidare *add. super lin.*

suscitare, maius quam secundum naturam erat. Sed tamen ad magnum hoc et mirabile non parum et centurio contulit. Quod et christus significans, dixit. Vade, et ut **credidisti** fiat tibi. Vides qualiter diuulgauit pueri sanitas, et christi uirtutem, et centurionis fidem, et futurum credi fecit, magis autem christi uirtutem per omnia diuulgauit? Neque enim corpus emendauit solum pueri, sed et centurionis animam ad fidem per miracula ipse attraxit. Tu autem non hoc intende solum, quoniam hic credidit, et quoniam ille sanatus est, sed et uelocitatem ammirare. Etenim et hoc manifestans euangelista, dixit et sanatus est puer eius in hora illa. Sicut et in leproso dixit, et confestim mundatus est. Neque enim curare, sed et inoppinate hoc facere, et in momento temporis uirtutem ostendebat. Et non ita solum expedit, sed et **quod** continue in miraculorum demonstratione sermones de regno **aperit**, et omnes ad id **attrahit**. Etenim eos quos expellere minabatur, non ut expelleret minabatur, sed ut timore ad id per uerba, **attrahat**. Si autem nichil neque hinc lucrabantur, ipsorum est accusatio uniuersa et omnium qui talibus egrotantur. Neque enim in iudeis solum hoc contingens aliquis uidebit, sed et in his qui crediderunt. Etenim iudas filius regni erat, et audiuit cum discipulis super duodecim thronos sedebitis, sed filius gehennae factus est. Ethiops autem barbarus homo existens, et eorum qui ab oriente et occidente sunt, cum abraham et isaac et iacob, fruatur coronis, hoc et in nobis efficitur nunc. Multi enim erunt ait primi ultimi, et ultimi primi. Vt neque illi pigritentur sic, ut non potentes reuerti, neque hii **audeant** sic ut stantes, hoc et iohannes antiquitus presonans dixit. Potest deus ex lapidibus his exigere filios abraham. Quia enim hoc debebat fieri, antea diuulgatur a longe, ut nullum inoppinabilitas rei tumultuetur. Sed ille quidem ut contingens id dicit. **Primus** enim erat. Christus autem, ut **omnino** futurum, demonstrationem quae est ab operibus tribuens. Ne igitur **audeamus**, qui stamus **sed** dicamus nobis ipsis, qui estimat stare, uideat ne cadat.

Neque desperemus qui cecidimus. Sed dicamus nobis ipsis, nunquid qui cadit non resurgit? Etenim multi in ipsum caeli uerticem ascendentes, et omnem patientiam demonstrantes, et heremum assumentes, et neque somno mulierem uidentes, pigritantes parum lapsi sunt, et ad ipsum uenerunt malitiae baratrum. Alii autem rursus, ad caelum inde ascenderunt, et ascena et scurilitate, ad angelicam translati sunt urbanitatem, et tantam ostenderunt uirtutem, ut demones abegerint, et multa alia signa talia operati fuerint. Et horum quidem plenae sunt scripturae. Plena autem uita exemplis nobis. Et fornicatores et molles manicheorum obstruunt ora, qui malitiam immobilem esse aiunt, diabolo seruientes, et manus uolentium studere dissoluentes, et uitam uniuersam euertentes. Qui enim hec suadent, non ad futura nocent solum, sed et hic omnia superius et inferius quod ex ipsis est, **faciunt**. Quando enim diligens erit ob uirtutem aliquis eorum qui in malitia uiuunt, cum impossibilem reuersionem quae est ad ipsam esse estimauerit, et transmutationem que est ad melius? Si enim nunc et legibus existentibus et penis intendatis, et gloria quae erigit multos, et gehenna expectata, et regno promisso, et malis exprobratis, et bonis laudatis, uix eligunt quidam sudores qui sunt pro uirtute, si haec omnia destruxeris, quid est quod prohibeat, omnia perire et corrumpi? Cognoscentes igitur malignitatem diabolicam, et quod gentilibus legislatoribus et christi responsis, et naturae intentionibus et communi omnium hominum opinioni, et barbaris, et scit his, et thracibus, et omnibus simpliciter, contrarii sunt hii, et qui fati dogmata in legislationem deducere temptant, uigilemus dilecti, et omnibus illis renuntiantes eamus, per **angustam** uiam, et **audentes**, et formidantes. Formidantes quidem propter precipitationes quae alterutrinque sunt. Audentes autem propter precedentem nos ihesum. Eamus uigilantes et attentis. Et si enim parum aliquis dormitet, deorsum delatus est uelociter. Non enim sumus diligentiores dauid, qui parum paruipendens, ad ipsum precipitatus est peccati baratrum, sed surrexit uelociter. Ne igitur quoniam peccauit consideres solum, sed quoniam et peccatum

Commented [ND48]: [fol.99rb]

Commented [ND49]: uel in *add. super lin.*

Commented [ND50]: uel aperendo *add. super lin.*

Commented [ND51]: uel attrahendo *add. super lin.*

Commented [ND52]: regnum *add. super lin.*

Commented [ND53]: uel euellat *add. super lin.*

Commented [ND54]: uel confidant *add. super lin.*

Commented [ND55]: uel prior *add. super lin.*

Commented [ND56]: uel necessarium *add. super lin.*

Commented [ND57]: uel confidamus *add. super lin.*

Commented [ND58]: [fol.99va]

Commented [ND59]: Morale xxvi. quod non oportet usque in finem confidem stantem, uel desperare nos ipsos cadentes *notum in marg.*

Commented [ND60]: uel confundunt *add. super lin.*

Commented [ND61]: [fol.99vb]

Commented [ND62]: uel confidentes *add. super lin.*

abluit. Propter hoc enim hystoriam illam descripsit, non ut cadentem contempleris, sed ut resurgentem ammireris. Vt discas cum cecideris, qualiter resurgere oportet. Quemadmodum enim medici difficiliore egritudinum eligentes libris inscribunt, et huius emendationis methodum, id est doctrinam docent, ut in maioribus exercitati facile minora superent, ita utique et deus maxima peccatorum in medium induxit, ut et qui parua deliquerunt, per illa facilem horum emendationem inueniant. Si enim illa habuerunt sanationem, multo magis minora. Videamus igitur qualiter et egrotauit, qualiter et surrexit uelociter beatus ille. Quis igitur illius infirmitatis erat modus? adulterauit et occidit. Neque enim **occultor** clara haec diuulgans uoce. Si enim spiritus sanctus non extimauit uerecundiam, hanc exponere omnem hystoriam, multo magis neque nos obumbrare oportet. Ideoque non solum ea diuulgo, sed et aliud appono. Etenim quicumque haec occultant, hii maxime uirtutem illius obumbrant. Et sicut qui prelium silent goliae, non paruis eum priuant coronis, ita et qui hanc euertunt hystoriam. Ergo non estimatis **preter** opinionem esse quod dicitur? Quo circa expectate parum, et tunc scietis quoniam iuste haec a nobis dicta sunt. Propter hoc enim augeo peccatum, et inoppinabilem facio sermonem, ut ex ampliori **superhabundantia**, **farmaca** id est **medicinas** instruam. Quid igitur est quod appono? uirtutem uiri, quod maiorem facit incusationem. Non enim similiter omnia in omnibus iudicantur. Potentes enim ait, potenter inuestigabuntur, et qui nouit uoluntatem domini sui et non facit, uapulabit multis, quare amplior cognitio, amplioris est penae **conditio**. Propter hoc denique sacerdos eadem subiectis peccans, non eadem patietur, sed multo difficiliora. Fortassis uidentes accusationem ad auctam, tremitis, et formidatis, et ammiramini me quasi aduersus precipitationes uenientem, sed ego ita audeo pro iusto illo, quod et ultra procedam. Quanto enim ad auxero incusationem, tanto magis monstrare potero laudem dauid. Et quid his amplius est ait dicere? Sicut enim in cain non occisio sola erat, quod factum est, sed et multarum occisionum deterius, non enim alienum, sed fratrem, non iniqua facientem, sed iniqua patientem occidit, non post multos occisores, sed primus iniquationem inueniens, ita utique et hic non occisio fuit solum hec audatia, non quilibet fuit homo qui fecit, sed propheta. Et non iniqua facientem, sed iniqua patientem interimit. Etenim iniqua passus erat, in potioribus muliere rapta, sed tamen post illud, et hoc apposuit. Vides qualiter non peperci iusto, qualiter neque cum timore aliquo dixi, quae deliquit ipse? sed tamen ita pro excusatione audeo, quoniam post tantum tumorem peccati, uellem adesse et manicheos, qui maxime hec commedice dicunt, et qui in his quae marchionis sunt, egrotant. Vt ex **superhabundantia**, eorum obstruam ora. Illi enim dicunt, quoniam occidit et adulterauit. Ego autem non hoc **solum**, sed et duplicem occisionem enuntiaui, et ab eo qui iniqua passus est, et a **qualitate** personae illius qui deliquit. Non enim est equale spiritu sancto dignum effectum, et tanta beneficia accipientem, et tam magnam liberam habentem presentiam, et in etate tali, talia audere, et sine his omnibus hoc idem facere, sed tamen et ita maxime mirabilis est, nobilis ille uir, quoniam in ipsum profundum malitiae incidens, non deses effectus est, neque diffidit, neque resupinum seipsum proiecit, ita a diabolo pestiferam assumens plagam. Sed uelociter, magis autem confestim, et cum multa uehementia, solidiorem dedit quam accepit plagam. Et idem gestum est quale si in prelio, et acie barbaro aliquo in bellico si cor infigente lanceam, uel aduersus epar, immittente sagittam, et secundum priori ulcus apponente, illo **solidius**, cadens et sanguinem multum effundens undique, qui difficiles has accepit plagas, et resurgat uelociter, et lanceam aduersus sagittantem emittens, mortuum in campo ostendat confestim, ita utique et hic quantocumque maiorem dixeris hanc plagam, tanto ammirabiliorem ostendis uulnerati animam. Quoniam potuit post difficile hoc uulnus, et resurgere, et stare in ipsa agminis fronte, et sauciantem summittere. Hoc autem quam magnum est, sciunt maxime quicumque in difficilia incidunt peccata. Non enim est ita nobilis, et uirilil animae, recto tramite

Commented [ND63]: uerecundor add. super lin.

Commented [ND64]: extraneum add. super lin.

Commented [ND65]: [fol.100ra]

Commented [ND66]: uel causa add. super lin.

Commented [ND67]: dico add. super lin.

Commented [ND68]: [fol.100rb]

Commented [ND69]: uel crudelius add. super lin.

incedere, et semper currere, habet enim talis anima, coitineratorem bonam spem, incitantem, erigentem, neruantem, audidiorem operantem. Vt post decem mille coronas, et multa throphea et uictorias, ultimam sustinentem iacturam, possit rursus eosdem resumere cursus. Et ut manifestius quod dico fiat, et aliud priore exemplo in nullo minus, uobis in medium deducere temptabo. Excogita enim michi quendam gubernatorem, decem mille pertranseuntem pelagos, post uniuersi maris nauigationem, post multas fluctuationes, et tempestates, et rupes, multum habentem onus, in ipso summersum ore portus, et nudo uix corpore difficile hoc effugientem naufragium, qualiter ad mare disponi conueniens est, et ad nauigationem, et ad tales labores? Nunquid eliget aliquando hic talis, nisi uehementer uiriliter fuerit animi, litus uidere, uel ratem, uel portum? non ego estimo, sed uelatus iacebit, ut noctem diem inspiciens, et omnia abrenuntians, et magis eliget mendicans uiuere, quam eosdem tangere labores, sed non beatus hic talis, sed tale naufragium sustinens, post decem mille labores et sudores illos non mansit occultatus. Sed et naufragium attraxit, et uela expandens, et temonem tractans, eosdem tangit labores. Et ampliores suas rursus operatus est diuitias. Si autem stare mirabile est ita, et non iacere semper cadentem, resurgere etiam et talia operari, quantis non utique erit coronis dignum? quamuis multa erant quae indiffidentiam eum immittebant, et primum magnitudo peccati, secundo non in premiis uitae, quando et amplior est spes, et secus finem haec pati. Neque enim negotiator a portu egrediens confestim, et naufragium sustinens, similiter dolet ei, qui post decem mille negotiationes, conquassatur in scopulis, tertium pati id eum qui multiformes congregauit diuitias. Etenim non parua recondita erant ei onera tunc, ut puta ea quae secundum primam aetatem erant, cum pascebat, ea quae secundum goliam erant, quando clarum tropheum statuit, ea quae secundum philosophiam, quae in saule fuit, erant. Etenim euangelicam ostendebat longanimitatem, decem milies inimicum in manus accipiens, et ignoscens continue, et magis eligens cadere a patria et libertate, et ab ipsa uita, quam eum qui inique insidiabatur interficere. Sed et post regnum, non paruae erant ei directiones. Cum predictis autem et suspicatio quae a multis erat, et cadere a clara ita gloria, non quemlibet ei faciebat tumultum. Neque enim ita eum decorabat purpura, ut confundebat peccati huius sordes. Noscitis autem omnino quam magnum est, peccata propalare, et qualiter magna indiget anima hic talis. Vt post multorum accusationem, et postquam habuerit tantos testes priorum delictorum non excidat, sed tamen omnia haec, nobilis ille ex anima abstrahens tela, ita effulsit postea, ita expurgauit sordes, ita factus est mundus, ut nepotum suorum, et iam mortuus, peccata mitigauerit, et quod dicebatur de abraham, et de isto uidetur deus dicens. Magis autem multo amplius de isto. In patriarcha enim ait quoniam meminit testamenti quod erat ad abraham, hic autem non testamenti ait, sed qualiter propter dauid puerum meum, protegam ciuitatem hanc. Sed et salomonem propter euniam, id est bonam mentem, que erat ad illum, non dimisit tam magnum deliquentem peccatum, a regno excidere, et tanta erat gloria huius uiri, ut petrus post tantos annos ad iudeos contionans, ita dicat, possibile est dicere cum libera propalatione ad uos de patriarcha dauid, quoniam et obiit, et sepultus est. Sed et christus iudeis loquens, monstrat eum post hoc peccatum, spiritu dignum effectum tanto, ut et de ipsius deitate dignum constituerit prophetare. Rursus et hinc eos obstruens dixit. Qualiter igitur dauid in spiritu dominum eum uocat dicens? dixit dominus domino meo, sede a dextris meis. Et quod in moyse gestum est, hoc et in dauid. Quemadmodum enim mariam, et nolente moyse, puniuit deus, propter contumeliam que erat ad fratrem, quia ualde amabat hunc sanctum, ita et hunc a puero iniuriam patientem, uelociter uindicauit, et hoc non uolentem. Sufficientia igitur et haec sunt. Magis autem ante alia, haec sufficientia sunt ostendere uirtutem uiri. Cum enim deus sententiam protulerit, nichil oportet amplius circumscribere. Si autem uultis et secundum speciem, eius discere philosophiam, possibile est uobis pertranseuntibus hystoriam quae est post

Commented [ND70]: [fol.100va]

Commented [ND71]: principiis add. super lin.

Commented [ND72]: sed add. super lin.

Commented [ND73]: saxis add. super lin.

Commented [ND74]: uel pastor erat add. super lin.

Commented [ND75]: [fol.100vb]

Commented [ND76]: filio add. super lin.

Commented [ND77]: huius add. super lin.

Commented [ND78]: [fol.101ra]

peccatum, uidere eius liberam ad deum presentiam euniam, id est bonam mentem, uirtutis additamentum, diligentiam in ultimis etiam respirationibus. Haec igitur habentes exempla uigilemus, et studeamus non cadere. Si autem aliquando et ceciderimus, non iacere. Neque enim ut in desidiam uos immittam, dauid peccata dixi, sed ut amplio rem timorem operer. Si enim iustus ille, pigritans parum, talia suscepit uulnera, quid patiemur nos qui parui pendimus? Ne igitur quoniam cecidit inspicias, et pigriteris, sed excogita quanta et postea operatus est, quantos merores ostendit, quantam penitentiam, noctes diebus adiciens, fontes lacrimarum emittens, lectum his lauans lacrimis, saccum circumamictus. Si autem ille tanta indignit conuersione, quando poterimus saluari nos post tanta peccata insensibiliter dispositi? Qui enim multas habet directiones, facile utique et hinc peccata obumbrat. Nudus autem ubicunque susceperit sagittam, pestiferam suscipit plagam. Vt igitur non hoc fiat, armemus nosmetipsos bonis operationibus. Et si aduenerit aliquod delictum, abluamur, ut digni efficiamur, in gloriam dei uiuentes in presenti uita, futura frui uita. Qua fiat omnes nos potiri gratia, et philanthropia, id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium cum patre et sancto spiritu in secula seculorum amen.